

216 *idem fuerit, & ostensum &c.* Ubi ly, & ostensum, idem importat, ac: Dummodo minor pars contradicens coram Superiore Capituli, vel electis arbitris (pars enim major non est iudex, sed suspecta) probaverit id, quod obicit: nam non sufficit obicere, nisi probetur. Glossa *ibid.* vers. *Ostensum*, & alii.

25 Quin imò, tamen gesta à majori parte Capituli ad utilitatem Ecclesiæ valeant, non obstante aliorum contradictione: tamen si major pars irrationabiliter, aut in damnum Ecclesiæ quidpiam decrevisset, potest etiam unus contradicere, arg. c. *Nicana. dist. 21.* junctâ Glossâ *final. & marginal. Ricci. in praxi Variar. Resolut. p. 2. resol. 249.* & Archidiacono n. 6. *ibid.* notanter interentibus, quòd unus Canonici- cus possit se opponere pro defensione Ecclesiæ suæ.

26 Similiter cæteris delinquentibus, ut putâ, in hæresin lapsis, unius innocentia, & contradictio impedire potest, quò minus valeant gesta majoris partis ad delictum, & damnum Ecclesiæ imputandum. Ita Apostilla ad Bartolum in l. *Subemus nullam.* vers. *Capituli. C. de Sacrosanct. Eccles.* citans Paulum de Castro. Layman. c. *Inter quatuor.* num. 2. de *Majoritat. & obed.* Pirhing h. t. num. 4. Siquidem jura Universitatis, vel Collegii, in uno solo retinentur. l. *Sicut.* ff. *Quod cuiusque Universitat. nomin.* Simulque delictum persone non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, ut inquit Reg. 76. *Jur. in 6.*

27 Tacetur casus ille, quo major pars Capituli scienter elegit indignum: quia tunc valida est electio digni à minori parte Capituli, ob rationem datam n. 22. estque ex professo dictum superius *Lib. I. Tit. 6. De Electione.* n. 146. & n. 152.

28 Deinde data Conclusio patitur limitationem ratione contrariæ consuetudinis alicubi receptæ. Nam in quibusdam Ecclesiis, seu locis, ex longeva consuetudine receptum esse, ut ad validitatem actûs capitularis, v. g. electionis, sufficiat consensus majoris partis Capitularium comparatione partis minoris, licet non sit major respectu totius Capituli præsentis; notat Zypæus in *Analytica Juris Pontificii, lib. 3. tit. De his, quæ sunt à major. par. Capituli.* n. 1. Engel *tit. de Electione.* n. 37. Vallensis h. t. n. 4. asserens, in Collegiis passim obtinuisse, ut quòd major numerus non respectu totius, sed minoris partis decreverit, ratum sit, & plenum habeat vigorem. Quod tamen, an hic & nunc procedat, ex usu & consuetudine particulari cujuslibet loci, desumendum erit; nam consuetudo, cum sit facti, & plura ad eam requirantur, ita ut sit difficilis probationis, juxta Glossam *fin. cap. ult. de Consuetud.* in dubio non præsumitur, sed probari debet.

29 Tertio eadem Conclusio fallit in Jurepatronatus. Nam si plures sint patroni, atque isti variant in præsentando Clericum idoneum ad Beneficium vacans; tunc valida est præsentatio facta à majori parte Patronorum, etiam respectu minoris partis, licet non excedat medietatem omnium Patronorum, dummodo ceteroquin Clericus sit idoneus. Unde, quando quatuor sunt Patroni, & unus eorum præsentat Titium, alter Sempronium, & duo reliqui Cajum, valida erit præsentatio duorum in favorem Caji facta; huicque ceteroquin idoneo, debebitur Beneficium vacans, arg. c. *Quoniam.* 3. de *Jure patronat.* ac notat Joan. Andreas *ibid.* & Abbas n. 13. & Fagnanus n. 13. citans Rotam *Decis.* 568. n. 2. apud Farinacium *part. 1. Recent.* & alios. Ratio est: quia patroni præsertim laici, non præsentant ut Collegium (alioquin secus foret dicendum) sed communiter præsentant ut singulares: atqui in illis, ubi plures habent explicare actum ut singulares, sufficit major pars respectu aliorum minorum partium, arg. *cit. c. Quoniam. de Jure patronat.* ac

notat Jo. Andreas, & Abbas, ubi *suprà.*

Unde non obstat c. *Ecclesia vestra.* 48. de *Election.* Quia ibi sermo est de Electione, quæ non nisi à Collegio, seu à pluribus capitulariter congregatis fieri potest, sique requirit majoritatem votorum respectu totius Capituli præsentis: hic autem est sermo de Præsentatione; quæ à Patronis fieri solet ut singularibus, non autem ut Collegio. Archidiacono *can. Nicæna.* n. 6. *dist. 31.* Jo. Andreas, & Abbas ubi *suprà,* & alii.

Fallit quarto eadem Conclusio, quando intervenit contemptus alicujus de Capitulo, Collegio, seu Universitate. Quia, si vel unus vocatus non est, qui vocari debuisset, potest is agere de contemptu, atque id, quod à cæteris actum, sive conclusum fuit, irritare, si velit. Glossa in c. *Quia propter* vers. *Sanior.* & Abbas *ibid.* n. 12. & Jo. Andreas n. 28. & Fagnanus n. 29. de *Election.* alique passim. Siquidem electioni (idemque dicendum de aliis actibus Capitularibus) plus contemptus unius, quam contradictio multorum obstat, ut dicitur c. *Bone memorie.* 36. c. *Venerabilium.* 34. §. *Objectioni.* c. *Quòd sicut.* 28. de *Election.* Admittit verò notanter, si velit irritare. Nam, si contemptus postea propter bonum pacis curaverit consentire, valet electio, vel alia dispositio Capitularis, juxta textum expressum in *cit. c. Quòd sicut.* §. 1. in *fin. de Election.*

Fallit quinto in assumptione Coadjutoris Episcopi copo dementi dandi. Nam si Episcopus fuerit dementis, & quid velit vel nolit, exprimere nesciat, tunc quidem Capitulum Cathedrale auctoritate Apostolica poterit, atque debet eidem unum, vel duos Coadjutores idoneos assumere, ad istam tamen assumptionem non sufficit major pars Capituli: sed oportet, ut vel totum Capitulum, vel saltem duæ ipsius partes concurrant, per textum expressum in *cap. 1. §. Si vero Episcopus. de Cleric. agrotant.* in 6. estque jam dictum *suprà eod. Tit. 6. de Clerico agrotante.* §. 2. n. 43.

Fallit sexto in electione Summi Pontificis: quia hæc non valet, nisi fiat à duabus partibus Cardinalium præsentium, c. *Licet.* 6. de *Election.* estque amplius dictum *suprà Lib. I. Tit. 6. de Electione.* §. 6. n. 149. Ubi n. 152. & 153. ac *seqq.* præfens Fallentia in materia Electionis accidens, extenditur ad casus illos, quando Electio concurrat cum Postulatione: & quando major pars scienter eligens indignum, privatur potestate eligendi pro una vice: de quibus casibus *ibidem* videri poterit.

Fallit septimo in dispositione Capituli, Collegii, vel alterius Universitatis de iis, quæ competunt pluribus non ut Collegio, sed ut singulis. Nam præfens Titulus loquitur de illis, quæ competunt pluribus ut Collegio, seu Universitati: de aliis verò, quæ competunt pluribus ut singulis, procedit Regula 28. *Juris in 6. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari,* cum concordantis. Sed occasione hujus ultimæ fallentiz.

Quæritur III. Quâ ratione salvetur dispositio *cap. ult. h. t.?* Ubi dictum habetur, quòd Episcopus cum majori parte Capituli possit statere, ut quilibet Canoniorum teneatur aliquam partem suorum reddituum conferre ad reparationem Ecclesiæ Cathedralis, non obstante quorundam contradictione. Ratio dubitandi est: quia in tali casu videtur, quòd Canonici illi tenerentur contribuere ut singuli; non vero ut Collegium, seu Capitulum: atqui istud repugnat proxime dictis n. *preced.* ergo. Accedit Reg. 56. *Juris in 6. In re communi, potior est conditio prohibentis.* Et concordat textus notabilis in l. *Per fundum.* ff. *de Servitutib. rusticor. prædior.* Ubi Summarium breviter inquit, *In iis, quæ sunt communia pluribus ut singulis, requiritur consensus om-*

omnium, qui potest separatiim adherere: cum similibus.

36 Nec juvat respondere cum Vincenzio, quem refert Abbas *cit. cap. ult. n. 4. t. h.* dispositionem dictæ Decretalis processisse ex approbatione Papæ: alius verò procedere contrarium. Nam (ut bene opponit Abbas d. n. 4.) secundum istam Vincentii opinionem pro nihilo deserviret hodie ista Decretalis: ac proinde frustra fuisset posita in Volumine Decretalium: atqui hoc est absurdum dicere, & contra dicta in proœmio Quinque Librorum Decretalium, ubi Pontifex *Decretales in unum volumen providit redigendas, rescatis superfluis;* & consequenter nulla amplius superfluis. Itaque dimissa memoratâ Vincentii sententia,

37 Resp. I. Episcopus, sive alius Prælati, cum majori parte Capituli sui, etiam contradicente parte minore, potest statueri, ut una cum ipso quilibet Canoniorum pariter aliquam portionem suorum reddituum pro reparatione Ecclesiæ suæ, veluti opere tam pio & necessario, deputare teneatur. Textus est expressus in c. *Ex parte.* seu *cap. ult. h. t.* Et ratio hujus decisionis Apostolicæ est ea, quam assignant Innocentius, J. Andreas, Abbas, alique passim in *cit. cap. ult. h. t.* Quia videlicet (ut loquitur Pontifex *ibidem*) reparatio Ecclesiæ Cathedralis, seu propriæ, est causa pia, & necessaria, concernens etiam utilitatem & necessitatem ipsius Collegii, utpote cujus Ecclesia indiget reparatione. Accedit, quòd redditus illi non pertinent ad Canonicos jure proprio, sed jure Ecclesiæ: nam redditus Canonicales principaliter pertinent ad Ecclesiam, utpote ex cujus fructibus, olim in quatuor partes divis, *can. De redditibus & can. Concessio.* & *can. Quatuor.* 12. qu. 2. Mensa Capitularis confurrexit, quæ postmodum in singulos Canonicos proportionaliter pro honesta eorum sustentatione dividi debet. Unde propter communionem, quæ est inter Ecclesiam, & Prælatum Sponsium ejusdem, ipsamque Capitulum, merito Prælatus una cum majori parte Capituli statueri poterit, quòd ad necessariam Ecclesiæ reparationem quilibet Canonicus aliquid conferre teneatur.

38 Neque obstant rationes dubitandi *num. 35. allatæ.* Respondetur enim cum Innocentio, & Abbate, ubi *suprà,* Engel h. t. n. 13. aliisque passim, quòd Regula, & Jura *ibidem* allegata procedant, quando redditus, v. g. patrimonii, ad singulos pertinent jure proprio: secus, quando pertinent ad eos jure Ecclesiæ, seu Collegii. Sic enim major pars, utpote repræsentans totum Collegium, potest de ipsis, veluti ante actualem divisionem in singulos Canonicos factam adhuc pertinentibus ad Ecclesiam, jure merito disponere: dummodo id fiat pro opere pio simulque necessario: ut est reparatio Ecclesiæ Cathedralis ruinosa, vel alia hujusmodi pia causa, ob necessitatem, vel utilitatem ipsius Collegii occurrentis.

39 Atque istud posterius solent exemplificare Doctores in sustentatione Scholaris pauperis docilis, existentis in Studio. Nam, quia hæc ratione possunt acquiri Viri docti, qui veluti stellas in perpetuas æternitates mansuri, ad justitiam valeant plurimos erudire, c. *Super specula.* 5. de *Magistris:* sicut & universalis Ecclesia ad sui regimen Viris literatis vel maxime noscitur indigere, c. *Cum ex eo.* 34. de *Election.* in 6. Hinc posse Episcopum cum majore parte Capituli, non obstante pauciorum contradictione, statueri, ut quilibet Canonicus debeat aliquid ex suis redditibus Ecclesiasticis contribuere ad sustentationem alicujus pauperis Scholaris; resolvit Abbas d. *cap. ult. n. 1.* & Barbosa *ibid.* num. 4. h. t. Pirhing *eod. num. 9.* & alii. Quod ipsum de factis quoad erectionem, & conservationem Seminarum Clericorum, expressè statutum fuit à Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 18. de Reform.*

Reiffensuel Jus Can. Tom. III.

tino *sess. 23. cap. 18. de Reform.*

Secus dicendum, quando nulla subesset pia & necessaria causa, sive necessitas aut utilitas Collegii: tunc enim major pars Collegii nihil posset disponere in præjudicium aliorum. Glossa in c. *Cum omnes.* §. *Constitutum.* in *fin. de Constitution. & Abbas cit. cap. ult. num. 4. §. Unde crederem.* h. t. istud exemplificans in casu, quo major pars Capituli, contradicentibus cæteris, vellet cuiquam facere gratiam aliquam de redditibus, qui perveniunt ad singulos jure Collegii. Nam in tali casu cessaret ratio in *cap. ult. h. t.* ponderata; videlicet ipsius operis pietas, & necessitas: eò quòd concessio dictæ gratiæ neque pia foret, neque necessaria: ac proinde ipsa non obligaret cæteros contradicentes, per Jura n. 34. & 35. allegata.

Quæritur IV. An Capitulum possit ferre interdictionem locale sine consensu Episcopi? Resp. I. Capitulum sine auctoritate, & consensu Episcopi, ac multo minus Canonici particulares, non possunt ferre Interdictionem localem propter excessus subditorum suorum. Textus est in c. *Quæsitus.* 2. h. t. ubi ejusmodi Interdictionem Pontifex mandat non observari, neque sustineri ab Episcopo, ut ab aliis observetur. Accedit ratio, quam ponit Glossa *ibid.* §. *Assensu:* quia talis sententia non tenet, cum sit lata ab eo, qui non habet jurisdictionem: nam vivente Episcopo Capitulum spectato Jure communis, ac seclusâ speciali consuetudine, vel privilegio, non habet jurisdictionem Fori externi in territorium Episcopale. Verum de Interdictione alibi.

Possit hoc loco etiam quæri, an Capitulum valeat condere Statuta; vel ab antiquo condita, aut etiam juramento confirmata, denudò revocare? Verum de hoc jam dictum est *suprà Lib. 1. Tit. 2. De Constitutionibus.* §. 4. num. 84. & §. 21. num. 533. & *seqq.* ubi videri poterit.

TITULUS XII.

Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.

I Ratio Ordinis Rubricarum. Rubrica hujus Tituli stat pro regula. *Ibid.*

Postquam in præcedentibus Titulis sufficienter actum fuit de Beneficiis, eorumque concessione; subiungitur Rubrica præsentis Tituli, omnem Collatoribus viam præcludens, sive ob propriam, sive ob consanguineorum, aut aliorum respectum & emolumentum, quoquo modo, diminuendi, gravandi, deteriorandi &c. ponendo regulam generalem: Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. Nam quòd isthæc Rubrica stet pro regula, & ac proinde rectè allegetur: notat Abbas in proœmio. Rex pacificus, n. 8. ac in Rubrica *Tit. Ne Sede vacante &c.* Concordat Glossa in *can. Hæc autem.* §. *Statuerit de penitent. dist.* inquit: *Nota, quòd Rubricæ sint authenticæ: nam ex verbis Rubricæ argumentatur hæc Lex. Ubi Glossa marginalis subinferendo ait, Argumentum posse sumi ex Rubricis: estque communis Doctorum, ut jam dictum *suprà in Proœmio Libri I. Decretal.* num. 93. & *seqq.**

§. I.

De Diminutione Beneficiorum per impositionem oneris: ubi & de Annatis.

SUMMARIUM.

- 2 Diminutio Beneficiorum præcipue quatuor modis fieri potest; & quibus? Diversitas nominum, diversitatem rerum inducit. Ibid.
- 3 Regula præsentis Rubricæ patitur suas exceptiones.
- 4 Per impositionem oneris, qualiter fiat diminutio Beneficiorum?
- 5 Ea est prohibita.
- 6 & 7. Prælati cum Capitulo, an Præbendæ vacanti possit honestum onus imponere? Et num. 5.
- 8 Episcopus, vel alius Collator, nequit redditus vacantis Beneficii sibi reservare.
- 9 Nisi sibi competat ex privilegio, consuetudine, seu aliâ causâ rationabili.
- 10 Potest tamen Episcopus cum Capitulo constituere, ut proventus Ecclesiarum vacantium retineantur ad tempus pro causâ iustâ, & necessaria. Et num. seq.
- 11 Quomodo id fiat ante collationem Beneficii.
- 12 & 13. A noviter receptis, seu admissis ad Beneficia, nihil potest exigi, non obstantè contrariâ constitutione, vel consuetudine Ecclesiarum.
- 14 Nisi illud in pios usus convertatur.
- 15 Nec valet consuetudo exigendi aliquid à Canonicis noviter receptis pro restauratione Mensæ Capitularis.
- 16 Annatarum usus est perantiquus.
- 17 Annatarum nominè, quid intelligatur? Eis potest Papa exigere. Ibid.
- 18 Et cur, ipsi sint præstante?
- 19 In Germania quales debeantur Annatæ?
- 20 In Germania ex stylo Curie impetrantur omnes Canonicatus, & Dignitates inferiores, sub expressione taxæ Cameralis viginti quatuor florenorum auri.
- 21 Quæritur I. Quot modis Diminutio beneficiorum Ecclesiasticorum accidere possit? Resp. I. Diminutio Beneficiorum præcipue, ac generatim loquendo, quatuor modis fieri potest; videlicet, per Impositionem oneris, per Divisionem, per Dismembrationem, & per Suppressionem, sub hac enim comprehendendo Unionem beneficiorum. Ita Ludov. Engel h. t. num. 1. Sannig eod. 6. i. num. 2. & in re communis: quamvis per hoc non negatur, quin plurâ alia nomina, quandam diminutionem Beneficiorum importantia, adsint: ut annexio, Incorporatio, Exinctio, Subjectio, Applicatio, & hujusmodi, quæ enumerat Pyrrhus Corradus lib. 2. Praxis Beneficiorum. cap. 8. n. 2. & seq. & Alfonso Hojeda Tractatum tom. 15. tract. de Beneficiis incomparabilibus. part. 2. cap. 3. n. 3. Est enim nonnulla diversitas in præfatis nominibus, quibus addi potest Pensio, considerari valeat (nam diversitas nominum, diversitatem rerum inducit, arg. l. Si idem. C. de Codicill. junctâ Glossâ v. Vocabulum. ibid. asserent, quod vix inveniatur aliquod nomen, quod omnino idem significat, quod aliud: semper enim plus, vel minus, vel alio modo significat) nihilominus cætera illa vocabula faciliè reducuntur ad quatuor enumeratos principales modos Diminutionis Beneficiorum, cum ad istos pertineant veluti species, seu membra, aut ut requirunt.
- 3 Resp. II. Regula præsentis Rubricæ, Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, afficit quidem omnes præfatos modos diminutionis Beneficiorum, adeo quod omnes & singulæ tales diminutiones Collatori ordinario sint prohibitæ: patitur tamen etiam ipsa suas limitationes, ac præsertim accedente gravi necessitate, vel aliâ iustâ causâ. Ita certa, & communis: & patet tum ex vulgato

illo axiomate, Nulla regula sine exceptione. Tum ex cap. un. §. fin. h. t. ibi: Ut ipsi proveniunt retineantur ad tempus pro causâ iustâ, & necessaria. Tum ex dicendis in progressu.

Quæritur II. Quomodo per Impositionem oneris fiat, sitque illicita diminutio beneficiorum Ecclesiasticorum? Resp. I. Per Impositionem oneris diminuitur Beneficium, quando Collator beneficii, v. g. Episcopus, Beneficium aliquo onere reali, vel personali gravare, aut partem reddituum Beneficium sibi reservare præsumit. Et tale onus reale imponeretur, obligando v. g. Beneficiatum, ut certam partem fructuum quotannis solvere, vel aliquid quiddam pro semel & temper præstare teneatur. Personale vero onus imponeretur, obligando v. g. Beneficiatum, ut deinceps Sacram Scripturam legat, Catechetin habeat, plures Missas celebret, ac antea fuerat præscriptæ; vel ut Choro assistat, aut aliud hujusmodi faciat, quod antehac non fuerat Beneficio annexum. Nam, ut ex terminis patet, omnibus istis modis Beneficio novum onus imponitur.

Resp. II. Omnino illicitum, atque prohibitum est, Beneficium conferre cum diminutione per novi oneris impositionem. Ita certa, & communis omnium: atque patet ex cap. un. §. Omnibus ergo. h. t. juncto c. Prohibemus. 7. de censû. ubi Concilium Lateranense, sub Alexandro III. celebratum, sic decrevit legitur: Prohibemus insuper, ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Prælati novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem fructuum suis usibus appropriare præsumant: sed libertatem, quam sibi Majores conservare desiderant, minoribus suis bonâ voluntate conservent. Si quis vero aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur. Hæc ibi: Concordat can. Si quis præbendas. 1. q. 3. cum similibus. Nam, ut novissimè Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 5. de Reform. providè animadvertit, ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt (puta, in Beneficiorum erectione, seu fundatione) contrariis ordinationibus non detrahatur: videlicet imponendo nova onera, aut oneribus antehac impositis derogando. Et hinc, quod præbendis jam erectis auctoritate ordinariâ non possit novum onus imponi, sæpius declaravit Sacra Congregatio Concilii; prout refert Fagnanus c. Significatum. n. 3. & seq. de præbend.

Dices. In c. Significatum. II. de præbend. Summarium sic loquitur: Possunt Prælati & Capitulum Præbendæ vacanti honestum onus imponere (puta, quotidiè celebrandi) ad quod Præbendarius teneatur: ergo quamvis beneficium non possit conferri sub impositione oneris realis, obligando v. g. Beneficiatum ad aliquid solvendum, vel certam partem fructuum beneficium Collatori relinquendam &c. (hoc enim videtur sapere simoniam) nihil tamen videtur obitare, quod minus imponatur onus personale, cæteroque tamen honestum, v. g. residendi in loco beneficii, plures Missas legendi, Choro assistendi &c. etiam si illud in fundatione beneficium non fuisset impositum. Resp. neg. consequent. Quia citatum Capitulum nihil probat, quin potius fiat in oppositum: nam ibidem præpositum cum Capitulo Insulano, imponens novum onus Beneficio conferendo, petivit hujus confirmationem à Papa: sicque intellexit, ipsoque factò confessus est, quod illa nova constitutio, seu impositio novi oneris, valida non fuisset, nisi accessisset robur Apostolicæ confirmationis, quam idcirco petivit. Fagnanus cit. c. Significatum. n. 2. de Præbend. Pithing eod. tit. num. 67. Unde conformiter dictis potest aliter responderi, & distinguè consequens. Ergo beneficium vacanti potest imponi onus personale, accedente auctoritate, seu confirmatione Apostolica,

§. I. De Diminutione Beneficiorum per impositionem &c. 219

licâ, conceditur: sine tali auctoritate Apostolica, ac per solum Collatorem ordinarium, negatur consequentia.

7 Fatendum tamen, quod Glossa in cit. c. Significatum. v. Ita quod. & plures Doctores ibid. in Summario. de Præbend. velint, quod Prælati cum Capitulo possit Præbendæ vacanti honestum onus imponere; ita videlicet, ut qui ad illam Præbendam eligitur, onus illud subire debeat, ut res transeat cum suo onere. Verùm hæc sententia vel est intelligenda de limine fundationis Beneficii, quo tempore Fundator potest adicere quascunque leges, & conditiones sibi bene videri, & cæteroque honestas; ut jam dictum supra Tit. 5. de Præbendis. §. 4. num. 105. & seq. Vel accedente auctoritate Apostolica, conformiter proximè dictis: vel erit relinquenda. Nam, quod etiam Fundatoris successores cum consensu Episcopi non possit alterare, sui derogare qualitatibus in limine fundationis appositis (& multò minus Collator) ex professo dictum est supra cit. Tit. 5. §. 4. num. 111.

8 Quæritur III. Utrum præmissis non obstantibus possit Episcopus, vel alius Collator, redditus vacantis Beneficii sibi reservare? Resp. Negativè: quin in id istud foret novum onus imponere Beneficio, illudque diminuere. Ratio clara est: quia bona à mortuis Ecclesiarum Rectioribus derelicta, seu tempore vacationis Beneficiorum obvenientia, vel in utilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent successores fideliter reservari; prout habetur c. Præsentis. 9. de Offic. Ordinar. in 6. & c. Quia sæpe contingit. 40. de Election. in 6. atque jam ab antiquo statuto fuerat can. Quoniam quidam dist. 75. & can. Illud quod. 12. quest. 2. & c. Cum vos. 4. de Offic. Ordinar. ubi idcirco jubetur poni Oeconomus, qui vacante Ecclesiâ, sui Beneficio, fructus ipsius colligat; & eos aut in opus Ecclesiarum, earumve utilitatem expendat, aut futuris Successoribus fideliter reservet. Atqui istud non ferret, si Episcopus, vel alius Collator beneficiorum horum fructus, seu redditus occupare, aut in suos usus convertere quoquo modo præsumeret: quod proinde in prælegatis Sacris Canonibus gravissimè prohibitum fuit. Concordat cap. un. §. Omnibus. h. t. ubi dicitur, quod in Lateranensi Concilio prohibitum sit, ne quis conferendo Ecclesiasticum beneficium, partem proventuum suis usibus retinere præsumat.

9 Additur tamen in cit. c. Præsentis. 9. de Offic. Ordinar. in 6. notabilis limitatio præmissorum, illis verbis: Nisi de speciali privilegio, vel consuetudine jam præscripta legitime, seu aliâ causâ rationabili (puta, quia in limine fundationis sic concessum fuit) hoc eisdem competere dignoscatur: nempe Episcopis, Abbatibus, vel quibusvis aliis regularibus, vel secularibus Prælati, & personis, quibus de speciali jure competit occupare bona Ecclesiarum vacantium. Quamquam etiam in hoc casu non sit licitum, occupare quæcunque bona mortuorum Rectiorum, aut tempore vacationis Beneficiorum obvenientia: sed illa solum, quæ superfluis solutis debitis, atque ministrorum salariis, & hujusmodi. Unde in cit. c. Præsentis. §. Porro. expressè subjungitur: Porro ubi ex privilegio, vel consuetudine, seu aliâ causâ rationabili, sibi aliquis prædictorum asserit bona competere supra dicta: hoc de illis bonis solum debet intelligi, quæ solutis debitis, si que sint, & his, quæ fuerint necessaria pro servitoribus, & ministris, ac incumbentibus oneribus, usque ad novum redditus supportandis congruè reservatis, & eis ipsi reperta fuerint superesse. Hæc ibi, junctâ Glossâ, & Doctores amplius istud declarantibus.

10 Resp. II. Quamvis extra casus proximè positos Episcopus, vel alius Collator, redditus vacantis Beneficii sibi reservare non possit, tamen in casibus, quibus supra dicitur, potest id facere, si de illis bonis solum debet intelligi, quæ solutis debitis, si que sint, & his, quæ fuerint necessaria pro servitoribus, & ministris, ac incumbentibus oneribus, usque ad novum redditus supportandis congruè reservatis, & eis ipsi reperta fuerint superesse. Hæc ibi, junctâ Glossâ, & Doctores amplius istud declarantibus.

ficii occupare, sibi que applicare non possit: potest nihilominus Episcopus cum Capitulo suo constituere, ut proventus Beneficiorum vacantium retineantur ad tempus pro causâ iustâ, & necessaria. Ita textus in cap. un. §. ult. & Glossa fin. ibid. & Innocentius n. 6. & Abbas n. 20. h. t. alique passim: qui illud exemplificant in casu debitorum nomine Ecclesiæ contractorum, pro quorum solutione aliunde media non suppetunt, arg. cap. penult. de Verb. signif. ubi Papa pro exoneratione talium debitorum cunctam Episcopo indulget, ut fructus Beneficiorum, in sua Diocesi vacantium, biennio retinere poterit. Et hoc ipsum intelligi debet de cæteris Ecclesiæ necessitatibus, aliisque causis iustis, ac necessariis; nam cit. cap. un. §. ult. h. t. textus generaliter loquitur de causâ iustâ, & necessaria: sicut & Jur. nov. Sc. citata expressè asserunt, bona tempore vacationis Beneficiorum obvenientia, in utilitatem Ecclesiarum (in quibus est Episcopus, can. Scire debes. 7. qu. 1.) expendi posse.

Additur notanter in conclusione, Episcopus cum Capitulo. Quia spectato Jure communi, & juxta Glossam, Innocentium, & Abbatem, ubi supra, requiritur ad hoc ut Episcopus id constituat cum Capitulo suo, juxta textum cit. cap. un. §. ult. h. t. ibi: Utrum ante donationem constituat (nempe Episcopus cum Capitulo suo) ut ipsi proventus retineantur ad tempus pro causâ iustâ, & necessaria. Ubi pariter ponderandum ly, aut donationem, seu liberam collationem Beneficii: nam dicta constitutio, seu reservatio fructuum Beneficii vacantis debet fieri ante, vel saltem cum ipsa collatione Beneficii. Post collationem autem hujus semel libere factam, sine consensu Beneficiarii non redit fieret; eò quod huic jam esset jus quæsitum, quod ipsi invito auferri non posset, l. Id quod nostrum. ff. de Reg. Jur. ubi dicitur: Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. Zoccius h. t. n. 2. Engel eod. num. 3. v. Item poterit.

Quæritur IV. Utrum à noviter receptis, seu admissis ad possessionem Canonicatus, seu alterius Beneficii, possit aliquid exigi, saltem existente Statuto, vel consuetudine longævâ? Resp. I. A noviter recepto, seu admissio ad possessionem Ecclesiæ Cathedralis, Canonicatum, vel aliorum Beneficiorum, nihil potest exigi, nec aliqua proventus, seu fructuum deductio fieri, aut aliqua solutio, promissio, seu compensatio convertendorum in utilitatem aliorum Canonicorum, seu Beneficiorum (quæ alicubi dicuntur Turnorum lucra) interponi: sed quæcunque talia, in pios usus non convertenda, censentur illicita, suntque prohibita, veluti habentia labem simoniacæ pravitatis, aut fordidæ avaritiæ suspensionem, non obstantè aliquo Statuto, aut consuetudine etiam immemoriali. Ita communis; & signanter Abbas c. Jacobus. num. 2. & 3. de Simonia. Barbosa tract. de Canonicis, cap. 15. n. 24. & seq. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 4. c. ult. §. 1. n. 4. citans constitutionem Pii V. quæ incipit, durum nimis, quam refert Piasen. in praxi Episc. p. 1. c. 4. n. 51. S. Congregatio apud Garciam part. 8. de Benefic. cap. 1. n. 83. & seq. citans alios. Idque patet ex can. Si quis præbendas. 1. quest. 3. ubi Innocentius II. in Synodo Romanâ decrevit legitur, ut à promotis ad Beneficia nec pro passu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis antè, vel post, & quomam aliqui exigatur, vel ipse dare præsumat; quoniam simoniacum est: sed libere, & absque diminutione aliqua, collata sibi dignitate, atque beneficio perfruat. Hæc ibi. Concordat c. Jacobus. 44. de Simonia, ubi pariter reprobat consuetudo exigendi prandium à receptis in Canonicos.

Accedit novissimè Concilium Tridentinum Sess. 24. 13. cap. T 2

cap. 14. de Reform. ubi ex professo Sancta Synodus detestatur, atque ab Episcopis aboleri mandat plurimum Ecclesiarum constitutiones, praevalque consuetudines, ut in electione, presentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiae, vel Beneficii - certis conditionibus, seu deductionibus ex fructibus, solutionibus, promissionibus, compensationibusve illicitis, aut etiam quae in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponantur. Haec, inquam, omnia Sancta Synodus detestatur, & mandat Episcopis, ut quaecumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacae labis, aut for didae avaritiae suspicionem habent, fieri non permittant, &c. Haec Concilium.

14 Additur notanter à relato Concilio Tridentino, quaecumque hujusmodi in usus pios non convertuntur. Nam valida foret constitutio, seu consuetudo Ecclesiarum, quae imponit onus receptis ad Beneficium conferendi aliquid, quod non tendit in utilitatem Canoniorum, seu Collatorum Beneficii; sed solummodo in utilitatem Ecclesiae, ut puta, ad conservandam ejus fabricam, sacrificiam: aut quod convertendum est in augmentum cultus Divini, alioque pios usus, puta, ad conservationem Seminarium, vel pauperum elemosinas &c. Prout tum ex relatis verbis Concilii, argumento à sensu contrario, desumitur: tum à Sacra Congregatione Concilii decilium refert Garcias cit. part. 8. de Benefic. cap. 1. num. 90. & Barbosa cap. 15. de Canonicis, num. 29. & 30. Ita tamen, ut ista non exigantur pro iplo tempore ingressu, seu admissione ad Beneficium (hoc enim foret simoniacum) sed ad alium finem pium recipiantur. Barbosa cit. numer. 29. Abbas c. Jacobus. num. 3. de Simonia. Flamin. Parisius de Confident. Beneficial. quest. 38. num. 28. & alii.

15 Secus foret dicendum de consuetudine illa, vi cuius Canonici à noviter receptis reservarent, seu exigerent aliquid pro restauratione bonorum Mensae Capitularis: cederet enim in utilitatem singulorum Canoniorum, ac proinde non foret laudabilis, neque valeret. Garcias cit. num. 90. allegans Declarationem Sacrae Congregationis. Barbosa d. num. 29.

16 Queritur V. Quid dicendum de Annatis, eorumque constitutione, & solutione? Resp. I. Annatarum usus est perantiquus, cum illum jam à tempore Concilii Viennensis, 1311. celebrati, receptum fuisse, scribat Flamin. Parisius de Confident. Beneficial. quest. 9. num. 61. & Laurent. Nicolars in Concordatis Germaniae. tit. 2. Dub. un. §. 1. citans alios.

17 Porro Annatarum nomine intelliguntur fructus primi anni, ex Beneficiis Sedis Apostolicae reservatis, & ab eadem impetratis, Camera ipsius persolvendi. Et si enim inferiores Collatores nihil sibi possint retinere ex redditibus Beneficialibus, sed teneantur Clericis idoneis Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferre, ut dictum: secus tamen est in Summo Pontifice, utpotè cui soli competere dignoscitur plenaria dispositio circa beneficia Ecclesiastica. c. Licet 2. de Praebend. in 6. & alibi; sicque potest Annatas exigere.

18 Ceterum Romano Pontifici, ex pervetusta ordinatione suorum Praedecessorum, debetur, atque praestari solet Annatarum solutio, tum ob subventionem necessitatum Sanctae Romanae Ecclesiae, atque ad sustentationem Cardinalium indigentium, & Officialium Curiae: tum praesertim in recognitionem Supremae suae Potestatis, atque ut inferiores Praelati contineantur in obedientia Sanctae Sedis Apostolicae. Nicolars cit. §. 1. Henric. Wagnerek. tit.

de Praebend. in Exegesi Concordatarum Germaniae. Engel eod. tit. num. 53. & seqq. & alii.

Resp. II. Loquendo de Germania, patet ex 19 Concordatis Germaniae, supra Titul. 5. de Praebendis. §. 18. n. 53. relatis, quod Annatarum nomine de Ecclesiis Cathedralibus, & Monasteriis exemptis virorum duntaxat, solvenda sint de fructibus primi anni Summae pecuniarum in libris Camerae Apostolicae taxatae, quae Communia servitia nuncupantur: ita tamen, ut si quae excessivè taxatae sint, retaxentur secundum qualitatem rerum, temporum & regionum. De ceteris vero Dignitatibus, & Beneficiis, auctoritate Sedis Apostolicae collatis, solvantur mediae Annatae, seu medii fructus unius anni, juxta tamen solitam. Sed de Beneficiis, quae valorem viginti quatuor florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur: prout expressè, ac nonnullis additis, habetur in praeregatis Concordatis Germaniae. §. 5.

Solum adde pro intelligentia hujus postremae partis Concordatarum Germaniae, nec non Regulae 55. Cancellariae, De exprimendo valore Beneficiorum in imperationibus, quod hodie ex generali consuetudine, & stylo Curiae Romanae obreptum sit, ut omnes Canonici, & Praebendae, ac Dignitates inferiores, Germaniae, Hispaniae, & Belgii, sub expressione illius taxae Camerae viginti quatuor florenorum auri, sive Ducatorum impetrentur: ideòque nullae solvantur Annatae, juxta citata Concordata Germaniae: simulque satisfactae Regulae 55. Cancellariae, exprimendo imperationes talium Beneficiorum, quod non excedat valorem viginti quatuor florenorum auri. Georg. Branden ad Concordata Germaniae, post quest. 12. Novab. 2. Nicolars cit. Tit. 2. §. 2. allegans alios Doctores, & multiplicem Decisionem Rotae.

§. II.

De Divisione, Dismembratione, & Suppressione Beneficiorum.

S U M M A R I U M.

- 21 Divisio Beneficiorum, quid?
- 22 Est regulariter prohibita, nec potest fieri.
- 23 Nisi subsit rationabilis, iustaque causa. Puta, quia Parochia est nimis ampla. Ibid.
- 24 Dismembratio Beneficii, quid?
- 25 Est de jure prohibita. Non debet unum Altare discooperiri, ut aliud cooperiatur. Ibid.
- 26 Dismembratio Beneficiorum potest ex iusta causa fieri.
- 27 Ad eam tamen requiruntur eadem causae, & solemnitates, quae ad unionem Beneficiorum.
- 28 Et declarantur haec causae.
- 29 Ad ipsam requiritur Consensus Capituli Cathedralis: & quando secus?
- 30 Requiritur etiam vocatio Rectoris aut (si Beneficium vacat) constituti Defensoris Ecclesiae.
- 31 Beneficia curata non possunt dismembrari, ut eorum fructus simpliciter Beneficio applicentur.
- 32 Suppressio Beneficii, quid? Est prohibita. Ibid.
- 33 Ex gravi tamen causa potest ea fieri. Canonici ob tenuitatem reddituum, quando possint supprimi? Ibid.
- 34 Potest Canonici supprimi duntaxat per Episcopum; non per ejus Vicarium, vel Capitulum Sede vacante.
- 35 Dignitas ob tenuitatem reddituum nequit supprimi absque auctoritate Sedis Apostolicae.

Queri-

§. II. De Divisione, Dismembratione, & Suppressione &c. 221

21 Queritur I. Quid sit, & qualiter illicita existat Divisio Beneficiorum? Resp. I. Divisio Beneficiorum fieri intelligitur, quando ex uno Beneficio duo constituantur: ut c. Ad audientiam. 3. de Eccles. edificand. Ubi propter nimiam distantiam locorum, ex una Ecclesia Parochialis eriguntur duae.

22 Resp. II. Regulariter loquendo, divisio Beneficiorum fieri non potest, sed est jure prohibita. Textus est in c. Majoribus. 8. de Praebend. desumpto ex Concilio Turonensi, ubi dicitur: *Divisionem Praebendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.* Intellige, regulariter loquendo, ac cessante iusta causa, & sine Superiorum auctoritate: alias secus; ut notat Glossa ibid. §. Divisionem. & Abbas num. 2. cum aliis, atque illicè ampliùs dicitur. Unde

23 Resp. III. Nihilominùs ex rationabili, iustaque causa, rectè potest una Praebenda, vel Parochia, per Episcopum una cum consensu Capituli dividi in duas. Ita Glossa, & Abbas loc. cit. & communis aliorum. Idque patet ex c. Vacante. 26. de Praebend. ubi divisio vacantis Praebendae Canonialis, ex rationabili causa, & de assensu Capituli per Episcopum facta, comprobatur, dummodo ejus facultates sufficienter pro duobus Canonici. Concordat cit. c. Ad audientiam. 3. de Eccles. edificand. ubi in Parochia, quae tam ampla est, ut populus non possit, maxime tempore hyberno, ad eam commodè convenire, caeteroquin autem redditibus abundat, jubetur nova Ecclesia erigi, & Sacerdoti ibidem constituto, certa portio de antiqua Ecclesia assignari. Et haec Conclusio confirmatur ex Concilio Tridentino Sess. 21. cap. 4. de Reform. ubi in tali casu conceduntur novae Ecclesiae, etiam invitis Rectoribus, erigi: ita tamen, ut illis Sacerdotibus, qui Ecclesiis noviter erectis praeficiendi sunt, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus: & si necesse fuerit, compelli possit populus, ea subministrare, quae sufficient ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam, prout subsigunt idem Concilium. Caeterum, quae aliae conditiones in electione novae Parochiae requirantur, suo loco, nempe Tit. 4. de Ecclesiis edificandis, dicitur.

24 Queritur II. Quid sit Dismembratio Beneficii, & an, & quomodo illicita? Resp. I. Dismembratio Beneficii est, quando aliqua pars reddituum à Beneficio separatur, & alteri applicatur, remanente Beneficio penes suum ordinarium Rectorem. Et hinc Dismembratio titulum non extinguit, sed titulo Beneficii illato remanente, aliqui duntaxat fructus ab eo separantur, & alteri Beneficio applicantur. Garcias part. 12. de Beneficiis. cap. 3. n. 1. & 2. Castro Palao part. 2. tract. 13. de Benefic. disp. 6. §. 10. n. 2. & alii.

25 Resp. II. Dismembratio beneficii, seu diminutio fructuum ejus, est de jure prohibita. Ita communis; & patet tum ex Rubric. & cap. un. h. t. tum ex c. Majoribus. 8. & c. Tuae fraternitatis. 20. & c. Vacante. 26. & c. Cum causam. 36. de Praebend. Quibus in locis expressè dicitur, quod pro unius Praebendae integratione altera scindi, seu dividi non debeat; aliis vero (subsurgitur in cit. c. Vacante) dividendis integrare teneatur. Et merito: quia, ut notanter Abbas in cit. c. Cum causam. n. 2. de Praebend. loquitur, non debet unum Altare discooperiri, ut aliud cooperiatur.

26 Resp. III. Est dismembratio Beneficiorum regulariter sit prohibita, ut dictum: nihilominùs ex iusta & rationabili causa potest Episcopus, servatis servandis, dismembrare beneficia Ecclesiastica. Ita Garcias, & Castro Palao. ubi supra, Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episc. allegat. 67. num. 15. & Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

17. citans Rotam Decis. 1. de Rebus Eccles. non alienand. in novis. & aliam Rotam in Aquilana, Nullitatis erektionis. 24. Maii 1610. coram D. Pirovano, & alios. Idque delumitur ex cit. c. Ad audientiam. 3. de Eccles. edificand. juncto cap. un. §. fin. h. t. ibi: *Pro causa iusta, & necessaria &c.*

Resp. IV. Ut dismembratio Beneficiorum licite ac 27 validè fiat, requiruntur eadem causae, ac solemnitates, quae requiruntur in unione Beneficiorum, atque alienatione rerum Ecclesiasticarum. Ita Rota, & Doctores proximè allegati, cum aliis. Siquidem dismembratio, est vera alienatio bonorum unius Beneficii, quae uniantur alteri. Et hinc

Ad dismembrationem Beneficiorum cuprimus 28 requiritur causa iusta, & rationabilis: qualis foret necessitas, vel utilitas Ecclesiarum, sive augmentum servitii spiritualis; puta, quia una Ecclesia ob tenuitatem reddituum patitur defectum Ministrorum, adeò ut Parochianis non possit commodè satisfieri in administratione Sacramentorum; alia vero Ecclesia redditibus abundat: tunc enim poterit fieri dismembratio fructuum hujus Ecclesiae, applicando eorum alteri Ecclesiae, juxta c. Ad audientiam. 3. de Eccles. edificand. Addit Barbosa cit. allegat. 67. n. 20. post Lotterium de Re benefic. lib. 1. quest. 28. n. 25. quod aliquando sola pinguendo reddituum unius, & exillitas fructuum alterius Ecclesiae, reputetur iusta causa pro dismembratione.

Deinde requiritur ad dismembrationem Beneficiorum 29 cii coaenusus Capituli Cathedralis: tali enim etiam requiritur ad unionem Ecclesiarum, atque alienationem rerum Ecclesiasticarum. cap. 1. de Rebus Eccles. non alienand. in 6. Hoc tamen intellige cum Garcia d. part. 12. cap. 3. n. 11. & 12. de dismembratione Beneficiorum quoad Ecclesias inferiores, quando Episcopus est auctor ipsius dismembrationis: nam quando non Episcopus, sed Rector inferioris Ecclesiae non habentis Collegium, est auctor dismembrationis (seu alienationis alterius rei) illius Ecclesiae, tunc sufficit, quod Rector alienet cum auctoritate solius Episcopi: si tamen Ecclesia illa inferior habet Collegium, requiritur etiam consensus Collegii, arg. can. Abbatibus. 12. q. 2. & can. In venditionibus. 17. qu. 4. & Clem. 1. junctà Glossa §. Proprii. de Rebus Eccles. non alienand. Abbas cap. 1. num. 5. De his quae sunt à Praelatis &c. Covarruvias lib. 2. Variar. Resolut. cap. 17. n. 1. Garcias loc. cit. allegans plures alios.

Requiritur ulterius ad praefatam dismembrationem 30 Beneficii praevia vocatio Rectoris, aut (si Beneficium vacat) constituti Defensoris Ecclesiae, seu Beneficii illius: nam Rectoris Ecclesiae vocatio omnino est necessaria, arg. c. Ad audientiam. 3. de Eccles. edificand. idque propter magnum praedjudicium, quod eidem pro dismembrationem, atque diminutionem reddituum, inferri posset. Si tamen Rector vocatus noluerit consentire, poterit Episcopus (si iusta causa subsit) eo etiam invito procedere ad talem dismembrationem. Barbosa d. allegat. 67. n. 17. 18. & 20. post Lotterium ubi supra. n. 5. & seqq. & alii. Concordant dicitur inferius n. 78. & 80.

His addendum, quod Ordinarius non possit 31 dismembrare Beneficia curata, ut eorum fructus simpliciter Beneficio applicentur. Siquidem Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 16. de Reform. expressè statuit, ut Beneficia, quae curam animarum retinent, deinceps in simplex Beneficium, etiam assignatà Vicario perpetuo congruè portione, non convertantur: non obstantibus quibuscumque gratis, quae sum plenarium effectum non sunt consecutae. Quo Decreto non solum prohibita est unio totius Parochialis Ecclesiae cum simplici, sed etiam unio alicujus partis fructuum ad eam spectantium: prout saepius censuisse Sacram Congre-

T 3

Congregationem Concilii, refert Garcias *cit. part. 12. cap. 2. n. 88.* adducens in terminis tales Declarationes ejusdem. Harum prima sic sonat: *Parochiales Ecclesie in simplex beneficium converti non possunt, quod intelligendum est etiam in aliqua parte fructuum ipsius Parochialis.* Secunda: *Nec Ordinarius dismembrare potest beneficia curata, ac unire beneficiis simplicibus.* Quarta: *Non poterit Ordinarius separare ab Ecclesiis Parochialibus beneficia simplicia, sive Oratoria, si illis unita essent, etiamsi illis separatis Parochiales non egeant.* Nec immerito: nam in toto, partem non est dubium contineri, juxta *Reg. 80. Jur. in 6.* ergo prohibita unione totius Beneficii curati cum simplici, etiam unio partis reddituum ejus sic prohibita intelligitur.

32. Queritur III. Quid sit Suppressio Beneficii, & quomodo illicita? Resp. I. *Suppressio est totalis extinctio Beneficii.* Et hæc similiter sine causa fieri nequit, *arg. c. Ex parte. 12. de Constitut.* ubi dicitur, quod non possint Canonici sine causa restringere numerum Canonicatum, seu Præbendarum; cum non debeat Divini Numinis cultus minui, sed potius augmentari.

33. Resp. II. Nihilominus ex gravi causa, puta, ob tenuitatem ac insufficientiam reddituum, & servatis solemnitatibus à Jure requisitis, potest etiam fieri suppressio Beneficii. Ita Glossa in *c. Cum accessissent. 5. Confirmatum. de Constitut.* ubi probat, posse Canonicos, etiam sine licentia Domini Papæ, ex causa suppressimere Præbendam, ac minuere numerum Canonicorum. Id ipsum expressius de facto habetur decisum in Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 15. de Reform.* ibi: *In Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt Præbende cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradu pro loci, & personarum qualitate non sufficiant: liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia Beneficia, non tamen regularia, iis unire: vel, si hæc ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum Patronorum consensu, si de jurepatronatus Laicorum sint, quarum fructus & proventus reliquarum Præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorum numerum reducere: ita tamen ut tot supersint, quæ Divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesie commode valeant responderi: non obstantibus &c.* Hactenus Concilium.

34. Circa quem textum notant Doctores, ac signanter Barbola *tract. de Canonicis, cap. 3. n. 21. & Garcias part. 12. de Benefic. cap. 2. n. 75. & seqq.* allegans multiplicem Declarationem Sacræ Congregationis; cum Concilium Tridentinum *loc. cit.* non utatur verbo *Ordinariis*, quod latius patet (comprehendit enim etiam Capitulum Sede vacante, & Vicarium Generalem Episcopi, & alios Prælatos jurisdictionem quasi Episcopalem habentes) sed solum dicat, *Liceat Episcopis &c.* dictam facultatem non convenire aliis, nisi solis Episcopis: adeo, ut neque Vicarius Episcopi, neque Capitulum Sede vacante, neque Abbates etiam exempti, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possint talem suppressionem Præbendarum facere; sed istud vi præfati Concilii competat solummodo Episcopis cum consensu Capituli sui. Notanter tamen dicitur, *talem suppressionem Præbendarum &c.* Nam quod attinet unionem simplicium Beneficiorum cum Præbendis tenuibus, eam quidem nequit facere Capitulum Sede vacante vi memorati Concilii Tridentini, ob rationem proximè dictam: bene tamen aliunde, seu ex vi Juris communis, juxta dicenda *n. 64.* Neque enim istud fieri posse, negat Concilium *loc. cit.* sed solum ibi non concedit, nisi Episcopo; ac in simili notat Garcias *d. cap. 2. num. 81.*

35. Notat etiam Fagnanus in *c. Cum accessissent. n. 6.*

& 7. *de Constitut.* quandoquidem Concilium Tridentinum *loc. cit.* tantum faciat mentionem de suppressione cujuspiam Præbendæ, seu Canoniciatus, casus autem suppressionis Dignitatis sit omisus: quod idcirco ob tenuitatem reddituum non possit supprimi Dignitas Ecclesie Cathedralis, vel Collegiata insignis, absque speciali Sedis Apostolicæ autoritate, seu licentia. Nam salva circa hoc manet dispositio Juris communis, de qua fit mentio *cit. c. Cum accessissent. de Constitut.* ubi suppressio Dignitatis Primiceriatibus valere dicitur ex eo, quia fuit autoritate Sedis Apostolicæ confirmata. Et ita etiam sentit Glossa *ibid. 5. Confirmatum.* atque à Sacra Congregatione Concilii decisum fuisse, refert Fagnanus *cit. num. 7.*

§. III.

De Unione Beneficiorum, & conditionibus ad eam requisitis.

SUMMARIUM.

- 36 Unio Beneficiorum, quid?
- 37 Alia est perpetua, &
- 38 Alia temporalis: & quæ?
- 39 Unio Beneficiorum variis modis accidere potest: potissimum autem tribus.
- 40 I. Cum mediante unione ex duobus Beneficiis sit unum.
- 41 Et talis unio dicitur extinctiva, seu translativa.
- 42 II. Quando duæ Ecclesie ita ununtur, ut una sit superior, & principalis: alia inferior, & alteri accessoria.
- Et hæc dicitur unio accessoria, seu subjectiva. *Ibid.*
- 43 In tali casu Ecclesia principalis censetur tanquam mater, & Ecclesia ei unita tanquam filia.
- 44 Ecclesia accessorie alteri unita, assumit naturam, consuetudines, & privilegia principalis.
- 45 Atque mutatur status, & natura Beneficii uniti: adeo, ut non amplius sit Beneficium per se subsistens, sed pars alterius, cui accessorie unitum est. Sicque desinit esse Beneficium, hujusque nomen amittit. *Ibid.*
- 46 Beneficium alteri unitum, sit prædium ipsius.
- 47 Et censetur esse unum duntaxat Beneficium. Nec in imperatione principalis Beneficii, opus est exprimere Beneficium ei unitum. *Ibid.*
- 48 Beneficium alteri accessorie unitum, per se nunquam censetur vacare.
- 49 Unde non confertur per formam Concursum. Et capti possessione Beneficii principalis, etiam eus habetur possessio. *Ibid.*
- 50 Nihilominus per unionem accessoriam non alteratur status Ecclesie unitæ; sed debet in ea deserviri, more solito, per Vicarium.
- 51 III. Modus uniendo Beneficia est, quando ambæ Ecclesie ununtur æquè principaliter &c. Et tunc Rector unus, est etiam Rector alterius. *Ibid.*
- 52 Uniones Beneficiorum, à quo possunt fieri? Et num. *seqq.*
- Episcopus unire, pertinet ad solum Romanum Pontificem. *Ibid.*
- 53 Potest Papa etiam omnia alia Beneficia unire.
- 54 Episcopus, subsistente justâ causâ &c. potest unire Beneficia suæ Diocesis.
- 55 Dempis Beneficiis exemptis.
- 56 Potest Episcopus unire Beneficia Papæ reservata; & qualiter?
- 57 Secus, quando Papa sibi retinisset quamcumque dispositionem quoad Beneficium.

58 Uniones Beneficiorum ad tempus nequit Episcopus facere, sed solum Papa.

59 Facultas uniendo Beneficia, spectato Jure communi competens Episcopis per Concilium Tridentinum, est restricta in nonnullis casibus. Et num. *seqq.*

60 Sic Beneficia unius Diocesis de factio nequeunt uniri Beneficiis, Monasteriis &c. alterius Diocesis.

61 Ecclesie Parochiales nequeunt amplius uniri Monasteriis, Dignitatibus &c. bene tamen aliis Parochialibus.

62 Beneficia Regularia nequeunt uniri Præbendis tenuibus.

Sicut & Beneficia libera non possunt uniri Ecclesiis patronatis. *Ibid.*

63 Legatus à Latere potest unire Beneficia suæ Provinciæ.

64 Sicut & Capitulum Sede vacante. Et si istud nequeat sibi unire Beneficia. *Ibid.*

65 Unire Beneficia, an possit Vicarius Generalis Episcopi?

66 Aut id possint alii Prælati Episcopo inferiores?

67 Quæ solemnitates debent citari ad faciendam unionem Beneficiorum? Et num. *seqq.*

Ad hanc requiritur causa justa, & prævia cognitio de veritate ejus. *Ibid.*

68 Aded, ut si Papa unionem faciat, de causa inquiri debeat in partibus.

Non tamen ad eam requiritur tractatus. *Ibid.*

Unio Beneficiorum est quedam alienatio, non tamen verè & propriè dicta. *Ibid.* & num. 81.

69 Causa justa uniendo Beneficia, quotuplex & quæ?

70 Unio Beneficiorum non est actus omnino voluntarius, sed quasi necessarius.

71 Si fiat sine causa, vel ex causa falsa, tunc ea est nulla.

Et an sit nulla ipso jure? *Ibid.*

72 Ad unionem faciendam debent citari omnes interesse habentes, eorumque consensus requiri: ut Prælati, cui subiecta est Ecclesia uniendo.

73 Collator, vel Ecclesie ipsius Episcopo inferiores.

74 Patroni, quando Ecclesie uniendo est patronata. Unio sine consensu Patronorum laicorum, est invalida. *Ibid.*

75 Et quid dicendum de Patrono Ecclesiastico?

76 Plebs non debet vocari ad unionem Beneficiorum: audiretur tamen, si allegaret causam impedivam ipsius.

77 Ad Unionem per Episcopum faciendam, requiritur consensus Capituli Cathedralis.

78 Quid juris, si Capitulum, vel alii, quorum interest, consentire nolint?

79 Ad valorem unionis Beneficiorum non requiritur consensus Rectoris Ecclesie, vel hæc vacante Defensoris.

80 Bene tamen pro dismembratione Ecclesie: & quæ disparitas?

81 Cur in alienatione rerum Ecclesie vacantis constituendus sit Defensor, non item in ejus unione cum alia? Et num. *seqq.*

82 Plura res sit Jus commune dismembrationi bonorum Ecclesie, quam unioni totius Ecclesie; & cur?

83 Unde habetur casus, in quo minus prohibetur, ubi majus permittitur.

Et fallit Regula illa: Qui potest totum, potest & partem. *Ibid.*

Episcopo, vel alio legitimo Superiore facta annexo. Et hæc definitio facile patebit ex dicendis.

Resp. II. Unio Beneficiorum est duplex, alia 37 perpetua, alia temporalis. Ita A. f. n. Hojeda *Tractatum Tom. 15. tract. de Beneficior. incompatibil. part. 2. cap. 3. num. 1.* Rebuffus in *Praxi Benefic. tit. de Unionib. Benefic. n. 7.* Garcias *part. 12. de Benefic. cap. 2. num. 9.* & alii. Et quidem Unio beneficiorum perpetua est, quando exprimitur, ut perpetuo duret: ut *c. Exposuisti. 32. de Præbend. ibi: De Capellis in perpetuum annexendis.* Item unio censetur perpetua, quæ fit ad perpetuum rei memoriam: hoc enim idem importat, ac *ly. In perpetuum.* Vel quando fit unio ad beneplacitum Sedis Apostolicæ: hæc enim, cum Sedes ipsa non moriatur, durabit perpetuo, nisi revocetur, *c. Si gratiosè. 5. de Rescript. in 6.* Item unio censetur perpetua, quæ fit contemplatione Ecclesie, *arg. cap. 1. Ne Sede vacante &c.* ac notant Hojeda, & Rebuffus, ubi *suprà*, eò quod pariter Ecclesia non moriatur.

Unio temporalis econtra dicitur, quæ fit ad tempus: ut puta, ad vitam ejus, cui conceditur; & sic contemplatione personæ, quæ proinde per illius mortem expirat, *arg. c. Quoniam Abbas. 14. de Offic. Delegat. cum similibus.* In dubio tamen unio censetur facta nomine Ecclesie: nam, ubi contrarium non apparet, Ecclesie potius favendum est, quam personæ, *arg. cap. 1. §. Attendentes. junctâ Glossâ 5. Quam Ecclesie. Ne Sede vacante &c.* ac notant Authores proximè citati.

Resp. III. Unio Beneficiorum variis modis accidere potest, potissimum autem tribus. Ita Glossa in *can. Et temporis. 16. qu. 1. & alia Glossa cap. 1. 5. Uniendo. Ne Sede vacante &c.* Alfonso. Hojeda *cit. tract. de Beneficiorum incompatibilitate. part. 2. cap. 3. n. 2.* Rebuffus in *Praxi Benefic. tit. de Unionib. Beneficior. n. 11. & seqq.* Gonzalez ad *Reg. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 7. n. 26. 27. & seqq.* Fagnanus *c. Novit. n. 2. Ne Sede vacante &c. Barbola part. 3. de Offic. & potest. Episcopi. allegat. 66. n. 2. & alii.*

Primus modus est, cum mediante unione ex 40 duobus Beneficiis fit unum: ita videlicet, ut neutrum eorum uniatur alteri, sed ambo simul uniantur. Exemplum hujus habetur *can. Decimas. §. fin. 16. qu. 1. ibi: Papa duos Episcopatus in unum redigere potest.* Talis etiam unio fieret, quando duæ Parochiales Ecclesie, cæterorum vicinæ, sed tempore v. g. belli multum destructæ, ita ad invicem ununtur, ut una fiat Parochia ex duabus; prout exemplificat Hojeda, ubi *suprà*, *n. 2.*

Et talis unio dicitur, *extinctiva, seu translativa*; 41 eò quod ex duabus Ecclesiis fiat una Ecclesia, si quæ altera earum extingatur, & jura alterius permittantur, seu transferantur in aliam. Fagnanus in *c. Exposuisti. n. 34. de Præbend.* Atque mediante tali unione, quæ neutrum Beneficium uniat alteri, sed ambo simul ununtur, unitum illud retinet consuetudines, & privilegia, quæ sunt meliora, & humaniora, seu favorabilia utriusque Beneficii, *arg. can. Medicamentum. de penit. dist. 1. Glossa, ubi supra.* Fagnanus *c. Novit. num. 3. Ne Sede vacante &c.* & alii.

Alter modus, & quidem cæteris frequentior, 42 est, quando duæ Ecclesie ita ununtur, ut non coalescant in unum corpus; sed una fit superior, alia inferior, & accessoria alteri. Et tunc in Ecclesia unita, seu alteri accessoria, debet poni idoneus Vicarius, juxta *c. Extirpandæ. 30. §. Qui verb. de Præbend.* ubi statuitur, ut quando Dignitati, vel Præbendæ est annexa Parochialis Ecclesia, in hac, canonice instituitur perpetuus Vicarius. Atque talis unio appellatur *accessoria, seu subjectiva*; prout ex communis Doctorum notat Fagnanus *cit. c. Novit. n. 3. Ne Sede vacante &c.* soletque fieri pro augmento dotis

de Offic. Vicar. in 6. Ubi is neque Beneficia conferre potest, nisi horum collatio ipsi specialiter fuerit commissa. Rebuffus n. 37. Hojeda d. n. 7. Garcias n. 69. & alii.

66 Resp. VII. Prælati cæteri Episcopo inferiores, puta Abbates, Priores, Beneficia unire non possunt sine assensu proprii Episcopi; juxta textum apertum in c. Sicut unire. 8. de Excessib. Prælat. Intelligit, nisi ex speciali privilegio, aut præscriptione legitime completa; istud eisdem competere dignoscatur: nam jura Episcopalia inferiores præscribere non prohibentur, c. Auditis, 15. de Præscription. Hojeda, ubi supra, & alii.

67 Queritur III. Quænam conditiones, siue solemnitates, requirantur ad faciendam unionem Beneficiorum? Resp. I. Præter legitimam facultatem Beneficia unendi &c. proxime explicatam, prima conditio, seu solemnitas requisita ad faciendam rite unionem Beneficiorum, est causa justa & prævia cognitio de veritate ejus, arg. c. Exposuisti. 33. de Præbend. & Clem. Si una. 2. de Rebus Eccles. non alienand. juncto Concilio Tridentino Sess. 7. cap. 6. de Reform. Ubi dicitur, quod uniones perpetuæ, quæ deinceps ad cuiusvis instantiam fiunt, nisi eas ex legitimis, aut aliis rationabilibus causis, coram locis Ordinariis vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse consiteris, per subreptionem obtinere presumantur: ac propterea, nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant. Hæc ibi. Quod ipsum tradunt Rebuffus in Praxi Benefic. tit. de Unionib. Beneficiorum. n. 43. & 44. Hojeda cit. part. 2. de Beneficiorum incompatibilit. cap. 3. n. 9. Pirhing tit. de Præbend. n. 210. & alii passim.

68 Et hoc adeo verum est, ut si etiam Papa unionem Beneficiorum fecit, requiratur, quod de causa inquiratur in partibus: aliis unio non valet, juxta Reg. 22. Cancellar. de Unionibus &c. Quamquam non requiri alium solemne prævium tractatum ad ejusmodi unionem, censet Garcias d. part. 12. cap. 2. num. 146. citans Rotam Decis. 1. de Rebus Eccles. non alienand. in antiq. Rebuffus d. tit. Regula de Unionib. gloss. 11. n. 2. Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 172. Pirhing tit. de Præbend. n. 210. & alii. Licet enim unio Ecclesiarum sit veluti alienatio quædam, c. Tua nuper. 8. in fin. De his quæ sunt à Prælat. non tamen habet rationem veræ, ac propriæ dictæ alienationis; uti notant præcitate Auctores, arg. Clem. 2. de Rebus Eccles. non alienand. ubi ad unionem Ecclesiarum, per Episcopum faciendam, sufficit consensus Capituli sui: neque opus est vocare Rectorem, aut vacante Ecclesiâ constituere Defensorem, quod tamen requiritur ad alienationem propriè dictam, cap. 1. eod. in 6. cum similibus. Concordant dicenda inferius numer. 81.

69 Cæterum causa justa unendi Beneficia, in specie potest multiplex occurrere, atque assignari: generatim tamen ea reducitur ad duplicem, nempe ad evidentem Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem, juxta textum notabilem in c. Exposuisti. 33. de Præbend. ibi: Si evidens necessitas, vel utilitas exigat, Præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de Capellis in perpetuum annexendis eisdem augmentare &c.

70 Atque per hoc inferunt Doctores, & signanter Abbas c. Sicut unire. num. 6. de Excessib. Prælat. quod unio Beneficiorum, utpote faciendâ ex evidenti Ecclesiarum necessitate, vel utilitate, non sit actus omnino voluntarius, sed quasi necessarius: siue, ut loquitur Garcias, part. 12. de Benefic. c. 2. n. 210. unio magis concernat justitiam, quam gratiam: adeo, ut ex causa, præsertim necessitatis, teneatur Episcopus unionem facere; & si recusaret, possit adiri Superior, arg. Nullus laicus. 17. de Juræpatronat. ac notat etiam

Rebuffus cit. tit. de Unionib. Benefic. n. 42.

Quod si verò unio Beneficiorum fiat sine causa, vel ex causa falsa, & à parte rei non subsistente, etiam servatâ cæterorum formâ juris; tunc ea est nulla ipso jure, arg. cit. c. Exposuisti. de Præbend. ac notat Garcias lo. cit. num. 113. Hojeda d. part. 2. de Beneficiorum incompatibilit. c. 3. num. 13. & 16. Barbosa part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 66. num. 16. pluresque alii ab illis citari: contra Rebuffum in Praxi Benefic. tit. Regula de Unionibus, gloss. 9. §. Secundus, & nonnullos alios, quos in oppositum citat Hojeda d. cap. 3. n. 17. quidque volunt, unionem ex causa falsa factam, non esse ipso jure nullam ac irritam, sed irritandam, seu declarandam, quod fit nulla; sique Episcopum facultatem non posse conferre Beneficium taliter unitum ante dictam declarationem.

Resp. II. Altera conditio, seu solemnitas ad legitimam beneficiorum unionem requisita, consistit in hoc, quod omnes interesse habentes ad eandem faciendam citentur, eorumque consensus requiratur. Idque merito: Ne forsitan cæterorum culpam ignorant, atque invito, grave damnum in suis juribus inferri contingat. Sic, quando Ecclesiâ est subiecta Abbati, vel alii inferiori Prælato, non potest Episcopus eam unire absque illius consensu; prout liquet ex Clem. 1. §. Ad hæc. de Statu Monach. ibi: Cum consilio, & assensu Abbatum, per locorum ipsorum Ordinarios uniantur.

Similiter, quando Beneficium unendum pertinet ad Collatorem, vel Electores Episcopi inferiores, etiam isti antea sunt vocandi, eorumque consensus requirendus: quia, cum beneficium post unionem amplius non sit vacaturum, ipsi amittent jus conferendi, vel eligendi ratione unionis. Rebuffus cit. tit. Regula, de unionib. gloss. 11. n. 1. & 7. Garcias d. part. 12. c. 2. n. 202. cum aliis.

Insuper ad unionem rite faciendam requiritur vocatio, & consensus Patroni, quando Ecclesiâ unienda est patronata, seu pertinens ad jus patronatus alicujus inferioris. Rebuffus, ubi supra. num. 6. Garcias num. 202. Barbosa cit. allegat. 66. & alii passim. Idque desumitur ex c. Pastoralis. 7. de Donationib. juncto Concilio Tridentino Sess. 24. cap. 15. de Reform. ibi: Cum patronorum consensu. Accedit ratio: quia Patronus habet interesse in unione Beneficiorum: & si hæc fieret ipso infcio, vel invito, inferretur ipsi præjudicium; cum per unionem illam jus præsentandi cesset, atque extinguatur. Unde, quod Rota pluries tenuerit, unionem Beneficiorum factam sine consensu Patronorum laicorum esse invalidam, refert Garcias cit. part. 12. cap. 2. num. 205. & seqq. & favet Concilium Tridentinum Sess. 7. cap. 6. de Reform. statuens, quod uniones viribus omnino careant, nisi eas ex legitimis causis, coram loci Ordinario vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse consiterit.

Et hoc de Jure communi procedit, siue Patronus sit laicus, siue Ecclesiasticus: de facto tamen istud præcipue locum habet loquendo de Patrono laico, ob novam dispositionem ejusdem Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 15. de Reform. ibi: Cum patronorum consensu, si de jure patronatus laicorum sint. Nam ponderando verba illa, si de jure patronatus laicorum sint, Concilium à sensu contrario concedere intelligitur, unionem in casu cit. cap. 15. posse fieri per Episcopum absque consensu Patroni Ecclesiastici. Barbosa d. allegat. 66. n. 31. post Sanchez lib. 7. in Decalog. cap. 29. n. 185.

Cæterum Plebs non debet vocari ad faciendam unionem Beneficiorum, haud obstante, quod aliquo modo sua interesse videatur: sed Episcopus proteget Plebem, quæ aliquando nesciret: quid pateret.

peteret. Rebuffus cit. tit. Regula de unionib. gloss. 11. num. 11. illic tamen rectè subiungens, quod etiam Plebs audeatur, si causam rationabilem allegaret impedivam unionis, arg. c. Si quis Presbyterorum. 6. junctâ Glossâ §. Personis. de Rebus Eccles. non alienand. Item tradit Garcias cit. c. 2. num. 219. & 220. & Hojeda, ubi supra cap. 3. num. 9. & Pirhing cit. de Præbend. n. 210.

77 Resp. III. Tertia conditio, ad unionem per Episcopum faciendam requisita, est consensus Capituli videlicet Cathedralis. Textus est in c. Pastoralis. 7. de Donationib. ibi: Sed ut Episcopi donatio (seu unio Ecclesiæ pro loco facta) sit legitima, consensus est sui Capituli requirendus. Concordat Clem. 2. de Rebus Eccles. non alienand. ibi: Suo consentiente Capitulo uniat: ac notat Glossa ibid. §. Consentiente. Abbas c. Sicut unire. n. 2. de Excessib. Prælat. Hojeda cit. 3. num. 9. Garcias d. part. 12. cap. 2. num. 145. allegans Rotam in Segoviens. Præsentationis, de anno 1580. habeturque Decis. 133. part. 2. Diversi & alios. Additur tamen ly, ad unionem per Episcopum faciendam &c. propter dictâ superius num. 29.

78 Quod si Capitulum, vel alii, quorum interest, siue justa causa consentire nolint, poterunt compelli per Superiorem: imò, quando evidens causa necessitatis subest, potest ipse etiam invitus unio fieri, præsertim à Papa. Rebuffus d. tit. Regula de unionibus gloss. 11. num. 3. Azorius part. 2. lib. 6. cap. 28. quest. 12. Imò & ab Episcopo. Pirhing cit. de Præbend. num. 210. & Sanchez lib. 7. in Decalogum, cap. 29. num. 165. Quamvis sufficiat, consensum Capituli intervenire etiam post unionem, arg. c. Cum nos. 3. De his quæ sunt à Prælat. ac notat Rebuffus lo. cit. n. 20. Pirhing d. n. 210. Garcias, ubi supra, n. 147. allegans Rotam cit. Decis. 133. n. 9. pluresque alios.

79 Queritur IV. Utrum ad valorem unionis Beneficiorum, etiam requiratur consensus Rectoris Ecclesiæ? Resp. Negativè. Siquidem Rectori illi non præjudicatur in aliquo, vel ipse manet Rector illius Ecclesiæ, seu Beneficii, ut antea: neque enim talis unio totalem effectum suam habebit, nisi post mortem, vel amotionem illius Rectoris, arg. c. Consultationibus. 4. de Donationib. ac notat Glossa in Clem. 2. §. Vocatus. & Barbosa in Collat. ibid. num. 4. de Rebus Eccles. non alienand. Pirhing eod. tit. n. 8. Rebuffus cit. gloss. 11. num. 8. Garcias d. cap. 2. n. 216. post Rotam cit. Decis. 133. & alios. Quin etiam, quando vacat Beneficium unendum non necessario constituendus est Defensor ipsius hujusque consensus requirendus. Patet hoc urumque ex Clem. 2. de Rebus Eccles. non alienand. ubi dicitur: Si una Ecclesiâ alteri Ecclesiæ seu Dignitati alicui, vel Præbendæ per Episcopum, suo consentiente Capitulo uniat, aut Religioso loco doneat, ex eo quod Rector ipsius ad hoc vocatus, vel si vacabat, Defensor eidem super hoc datus non extitit, nequaquam id poterit impugnari. Hæc ibi.

80 Dices. In c. ad audientiam. 3. de Eccles. edificand. pro dismembratione Ecclesiæ Parochialis expresse requiritur vocatio, & consensus Rectoris; ergo idem dicendum de unione Ecclesiæ Parochialis, vel alterius Beneficii cum alio, vel alia. Resp. neg. consentient. & paritate. Siquidem dismembratio Ecclesiæ Parochialis, vel alterius Beneficii, statim in vita prioris Rectoris habet suum effectum; atque idem, cum subintrat præjudicium Rectoris, seu diminutio reddituum ipsius antea in vocandus est, ejusque consensus requirendus: quamquam, si irrationabiliter contentione recuset, eo etiam invito possit ob numerositatem populi nova Ecclesiâ Parochialis erigi, sique prior Ecclesiâ dis-

membrari, juxta Concilium Trident. Sess. 21. c. 4. de Reform. junctis dictis n. 78. Secus dicendum de unione unius Ecclesiæ, vel Beneficii cum altero: hæc enim non obstante prior Rector retinebit Ecclesiam, seu aliud Beneficium cum omnibus, sicut antea; cit. c. Consultationibus. 4. de Donation. estque proxime dictum: unde, quia nullum ipsi inferitur præjudicium, saltem considerabile, non est ratio; cur necessario sit vocandus ad unionem faciendam, ejusque requiratur consensus. Barbosa in cit. Clem. 2. n. 4. de Rebus Eccles. non alienand.

Urgebis. Saltem vacante Ecclesiâ dandus est ei-⁸¹dem Defensor, hujusque consensus requirendus, antequam uniat alteri, sique supprimatur, arg. cap. 1. de Rebus Eccles. non alienand. in 6. ubi non valet alienatio de rebus Ecclesiæ vacantibus, si fiat non constituto prius legitimo Defensore ipsius: nam, quod perpetua concessio, seu unio Ecclesiarum, pertineat ad alienationes, patet ex c. Tua nuper. 8. junctâ Glossâ fin. & DD. ibid. De his quæ sunt à Prælat. &c. Resp. hæc esse difficilem instantiam, in cujus solutione multum laborant Doctores; prout videre est apud Barbofam loc. cit. d. n. 9. usque ad n. 14. diversas responsiones afferentem. Breviter tamen dicitur, disparitatem esse inter alienationem rerum Ecclesiæ, & inter alienationem, siue unionem totius Ecclesiæ; ibi enim semper intervenit præjudicium Ecclesiæ, seu Rectoris sui, cujus bona, siue redditus diminuantur; simulque fit vera, & propriè dicta alienatio: ac proinde merito requiri debet consensus Rectoris, atque vacante Ecclesiâ Defensor constituendus est. Hic autem, siue in unione duarum Ecclesiarum, seu Beneficiorum, neutrum contingit: nam, ex quo duæ Ecclesiæ simul uniantur, inferior, seu unita alteri principaliori, participat hujus privilegia, & jura; sique potius perficitur, atque exaltatur; unde nec intervenit propriè dicta alienatio, ut jam dictum num. 68. Rector quoque, cum post unionem habeat preventus utriusque Ecclesiæ (exceptâ congruâ portione Vicario Ecclesiæ unitæ constituendâ) nihil detrimenti patitur in redditibus suis, sed re ipsâ capit incrementum: unde merito nec opus est hujus specialis consensu, neque Defensore vacanti Ecclesiæ constituendo.

Accedit alia ratio disparitatis. Quia in alienatione, seu dismembratione bonorum Ecclesiæ, subestlet periculum præjudicii, Ecclesiæ aut Rectori ipsius inferendi, nisi antea vocaretur, atque consentire deberet Rector Ecclesiæ, vel (hæc vacante) constitutus Defensor ejus: hi duo quippe præcæteris melius cognoscere censentur bona, & redditus ejusdem, & quantum ex his absque notabili cuiuspiam præjudicio alienari, seu dismembrari possit. Secus dicendum in alienatione, seu unione totius Ecclesiæ, siue Beneficii, omniumque reddituum ipsius, ob rationes num. præced. allatas. Unde non mirum, quod ad evitandum tale periculum præjudicii inferendi, fortius resistat Jus commune alienationi, & dismembrationi bonorum Ecclesiæ; atque ad eam requirat vacationem, consensumque Rectoris, aut (vacante Ecclesiâ) constituti Defensoris ipsius, juxta cit. c. 1. de Rebus Eccles. non alienand. in 6. Minus autem resistat alienationi, seu unioni totius Ecclesiæ (cæterorum tamen factæ ob evidentem necessitatem, vel utilitatem) neque ad hanc requirat consensus Rectoris, aut Defensoris ejus, in cit. Clem. eod.

Hinc notat Glossa in cit. Clem. 2. §. Defensor. 82 quod in præsentiarum habeatur casus, in quo minus prohibetur, ubi majus permittitur. Potest enim Ecclesiâ tota dari sine Rectoris c. Consultationibus. 4. de Donation. aut (si vacat) sine Defensore. cit. Clem. 2. de Rebus Eccles. non alienand. Non verò potest